

dum inde remissionis peccatorum incertitudinem, id docet Chamier. *t. 3. l. 13. c. 14. §. 23.*

דְּפִיִּי desideras :) huic divino appetitui suam tacite opponit vacuitatem, q. d. scio equidem, te sanctum Deum sanctos etiam requirere cultores, & quidem integritatem in eis intimam; verum in me ejus integritatis loco intimam deprehendes depravationem, omnimodam scilicet boni per naturam absentiam, mali vero presentiam. Mirè hic Calvinizat Mus: ecce veritatem, quam voluisti, i. e. etiam si peccavi, nil tamen animò ac mente à veritate ac fide deflexi. Sequitur Kimchium, ac sic David adulter non tamen planè factus sit apostata. Verum hòc de Davidis lapsu nostrates agunt operosius in quaestione, an Renati amittere possunt gratiam & Spiritum Sanctum? vide Danhauser. *hodom. Catv. p. 915. 921. Joh. Tob. Major. in Act. c. IV, 27.*

וּבְסֵתֶיךָ & in occultò sapientiam doce me :) Verbum סֵתֶיךָ est obstruere, occludere, v. g. scaturiginem aquarum Gihonis 2. Paral. xxxii, 30. fontes, *ibidem vers. 3. 4. & 2. Reg. III, 19. 25.* sic de auribus conclusis contra preces. *Thren. III, 8.* item de occlusionem prophetia, ne quis in ejus quasi introspicere queat mentem instar epistolæ, sigillo occlusæ, *Dan. VIII, 26.* Hinc סֵתֶיךָ idem est ac mysterium, ad spectui promiscuo subtrahitum vel conclusum; *Dan. XII, 6.* (clausa & obsignata sunt verba usque ad tempus finis :) *Ezech. XXVIII, 3.* sapientior es Daniele, nihil est סֵתֶיךָ quod te lateat. Quapropter & h. l. occultam intelligimus sapientiam, quam occulto cordis sui recessui petit insinuari David, ut hac ratione veritatem seu sinceram puritatem, quam Deus amat, largiatur ipse; ut etiam vitioso illi intimoque connato malo per Dei gratiam paratum sit remedium, occulta nimirum sapientia, Messia: agnoscens apprehendensq; sanguinem purgatorium, de quò mox sub typò hyssopi subjungit. Hac ratione *Vav* commodè exprimitur per *Ideoque*, ut *Psal. II, 10. XLV, 12. XCI, 14.* Ex desiderio enim Dei circa veritatem interiorem, elicit hanc donandam sibi intimiorem sapientiam. Participium verò סֵתֶיךָ occlusum aut reconditum respicit vel [1] subjectum informationis recipiens, videlicet cor, quod occlusum est undique juxta Chaldaum בְּכַסְיוֹ לֵבָא in occulto cordis, item *Rasche*; [h. m. aptè respondebit antecedenti בְּכַסְיוֹ] vel [2] objectum revelandum, nempe חֵכְמָה, ut *Sapientia in occulto*, idem sit ac, *Sapientia occulta vel mystica*, quomodo v. g. *Opus in agro* idem est ac *agreste*, *Exod. I, 14.* manus in innocentia, i. e. innocua *Psal. XXVI, 6.* sermones in justitia *Prov. VIII, 8.* timor in noctibus i. e. nocturnus. *Cant. III, 8.* Sic & *Sapientia occulta* erit ea, quæ omni humanae rationi ac industria fuisse impervestigabilis, atque à sola pendet revelatione divina; vel [3.] hoc participium refertur etiam quodammodo ad modum informandi, cohereretque cum חֵכְמָה scire facies me, q. d. in occultò vel clam per Spiritus Sancti tui inspirationem veram mihi suggere sapientiam. Confer *Job. XI, 6.* ubi Zophar: *utinam Deus loqueretur tecum, & indicaret tibi חֵכְמָה וְעֵלְמוֹת* plura scilicet superesse peccata tua &c.

חֵכְמָה sapientiam :) cujus scilicet beneficio scite dextreque usurpare possim medicinam, innato meo morbo ejusque pravissimis fructi-

bus à Te paratam: qualem sapientiam non nisi tuò afflatu ex verbo rectè assequimur. Mundus enim & lex ignorat vel non capit, quomodo condonet Deus penitenti propter Messiam, gratis; hanc sapientiam non capiunt nisi afflictæ conscientia. Aliqui hanc Sapientiam exponunt de dextrâ peccati originis agnitione, in quâ sanè magna Christianæ sapientia pars consistit. Ita *Höpsnerus, Tarnovius, Piseator.* Verum cum mali hujus venenum jamjam satis senserit, & hætenus quoque deplorarit, nunc etiam magis ad medicinam properet, velut ostendunt sequentia; ideoque de *Sapientia Evangelica* hoc tutius intelligemus. Confer de Sapientia sequentes locos ex Psalmis, *Psal. XXXVII, 30. XC, 12. XLIX, 4. CIV, 24. CXI, 10.* initium sapientia timor Domini. CVII, 27. (sapientia impiorum.) alibi namque vox חֵכְמָה non adhibetur à Davide. *Belgæ* de interna cordis, quod per *Occultum* intelligunt, sanctitate, &c. in het verborgene maect ghy my Wysheid bekent. *Rasche* de sapientia חֵכְמָה לְחֵטְאֵיךָ confitendi.

וְיָדְעֵנִי notam mihi fac :) in hac precandi formâ non immeritò accipimus hoc futurum, [per enallagen nempe futuri secundi pro primo, qualis in decalogò, item *Psal. V, 4. 12. Psalm. xxxi, 4. 1. Reg. II, 2. III, 9.* & alibi passim deprehenditur,] cum immediate mox quatuor hujusmodi locutionis sequantur exempla: *adsperges, lavabis, audire facies, exultabunt*, quæ ipsa per futurum primum seu imperativum esse exponenda, docet *vers. 11. 12. 13. 14.* & res ipsa. Ac proinde in hoc verbo iterum precari incipit David, postquam *vers. 5. 6. 7.* in peccati ingenua confessione fuerat occupatus: orat nimirum, ut sibi in peccatis concepto, verâque cordis probitate carenti, penitentiam ac mysticam velit largiri sapientiam, cujus mediò liberetur à peccati tum reatu, tum dominiò. Quod si tamen calcatam hætenus viam non libenter deserat, dici poterit, futurum hoc per enallagen accipi debere pro præteritò, quale præcessit, (חֵכְמָה voluisti, ut sensus sit: (sicuti) tu semper veritatem dilexisti intimam ac sinceram, (ita mihi quoque) in occultò (per Nathanaem) sapientiam illam mysticam revelasti; vel juxta *Mollerum*, eò gravior est culpa, quò majorem lucem in mente meâ accensam passus sum extingui à pravis libidinibus; ideoque quæso expia me &c. *Aben Esra* accipit in tertia femina: *Sapientia informat me:* vel veritas docet me sapientiam. *Vatablus* de intelligentia cœlestis doctrinæ, quam abjecerit, ad sædam libidinem instar bruti conversus.

EXPLICATIO VERSUS IX.

וְעָפְרָה expiabis vel expia me :) iterum futurum secundum per enallagen pro primo, ut proximè diximus. Verbum עָפְרָה peccavit vel à scopo aberravit, in Piel significat *Expiavit*, à peccatis mundavit, vel per ceremonias Leviticæ, quæ erat expiatio præfigurativa & declarativa; v. g. domus à leprâ mundata, *Lev. XIV, 19. 52.* hominis à cadavere contaminati, *Num. XIX, 19.* aræ consecrandæ, *Exod. XXIX, 36. Lev. VIII, 15. Ezech. XLIII, 20. 22. 23.* sanctuarii, *cap. XLV, 18.* personæ publicæ vel privatae inaugurandæ, *Lev. VI, 19. 26. IX, 15. 2. Par. XXIX, 24.* vel per emundationem veram ac realem, qualis innuitur h. l. (semel in